INQUISITIO
In fidem
CHRISTIANORUM
hujus sæculi.

Authore
ROGERO BOYLE,
S. T. D.
DEC. CORC.

---

1. Joh. 4. 1.
Probate Spiritus, num sint à Deo.

DUBLINII,
Typis *Johan. Crook*, Typographi Regii,
& væneunt apud *Samuel. Dancer*,
1665.

Dr Cowden B.

Credidimus dudùm: Liber hic, cur credere fas ſit,
Monſtrat, jam vitæ eſt Anchora tuta fides.
Credidimus dudum: Liber hic, cui credere fas ſit
Monſtrat. jam vitæ eſt Regula ſana fides.
Credidimus dudùm, dùm riſit turma profana:
Eſt jam, qui neſcit credere, ridiculus.
De hinc Obſcura Fides, *quia cælo vinceris, audi:*
Clarior eſt tenebris Gloria ſola tuis.

Jo. Butler.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

REVERENDISSIMO
IN
CHRISTO PATRI
AC
Domino, Domino
MICHAELI
ARCHIEPISCOPO
DUBLINIENSI,
Primati ac Metropolitano Hiberniæ, nec non Regiæ Majestati à Sanctioribus consiliis.

Reverendissime Domine,

SUnt hæ meditationes, quas non ita pridem meâ manu scriptas legere dignatus es. Eas tum arbitrio tuo humillimè devovi, Jam autem (quasi excidisses

cidisses damnandi jure, quo non es usus) Nomini audentior consecro. Adeo non est concessum Magnatibus cuipiam vel minimùm indulgere, quod perpetuum fieri nolint. Erat tamen, cur hæc privata professus, publica facere et vellem et auderem. *Ausus sum, quia te expertus aliorum securior reddebar, nec ullum potui extimescere acumen, ubi aciem tuam effugerim.* Sed cur ausus velim? *Non celabo Eminentiam Vestram, nec sic defensam religionem nostram, nec sequiores atque*

ue adeò noxias ejus defendendæ formas ſic depulſas, mihi alindè unquam obtigiſſe. i. e. Iſta novitate ſuâ mihi fuiſſe commendata. Quæ adeò non eſt vana jactantia, ut in libris edendis ſit neceſſaria ac fortaſſis una honeſta ratio. Ei tamen apud me aſtipulatur hæc altera: ad meammet fidem ſtabiliendam iſta meditatus ſum. Comperi autem me, niſi per quæ & alij poſſint, ſtabiliri non poſſe. Nec ſat fidebam ratiocinijs meis, quia nihil in ijs vitij ipſe viderim, niſi et alii quàm plurimi ſe nihil reperire

cidisses damnandi jure, quo non es usus) Nomini audentior consecro. Adeo non est concessum Magnatibus cuipiam vel minimùm indulgere, quod perpetuum fieri nolint. Erat tamen, cur hæc privata professus, publica facere et vellem et auderem. *Ausus sum, quia te expertus aliorum securior reddebar, nec ullum potui extimescere acumen, ubi aciem tuam effugerim.* Sed cur ausus velim? *Non celabo Eminentiam Vestram, nec sic defensam religionem nostram, nec sequiores atque*

que adeò noxias ejus defendendæ formas ſic depulſas, mihi aliundè unquam obtigiſſe. i. e. Iſta novitate ſuâ mihi fuiſſe commendata. Quæ adeò non eſt vana jactantia, ut in libris edendis ſit neceſſaria ac fortaſſis una honeſta ratio. Ei tamen apud me aſtipulatur hæc altera: ad meammet fidem ſtabiliendam iſta meditatus ſum. Comperi autem me, niſi per quæ & alij poſſint, ſtabiliri non poſſe. Nec ſat fidebam ratiocinijs meis, quia nihil in ijs vitij ipſe viderim, niſi et alii quàm plurimi ſe nihil reperire

perire atteſtentur. Publici ergo hæc juris feci, ut compertum habeam, quid in iis cujuſvis aut ratio corrigat aut moneat amicitia. Quod adeò verum eſt, tantique animo meo momenti, ut interdum tantùm non pigeat me gratiæ quâ apud te frui videar, veritus, nè ſi qui iſta legerint, Nomen potiùs tuum colant, quàm mihi eruditione ſtudeant, nec oculatiores eſſe velint in eo, quem nôrunt eſſe

Eminentiæ veſtræ

Servum obſtrictiſſimum
humillimumque.

ROB. BOYLE.

Rogeri Boyle, *Sacræ Theologiæ Doctoris, & Decani Corcagienſis, Inquiſitio in fidem Chriſtianorum hujus ſæculi.*

Sect. I.

Ratio ſequentium Meditationum.

REligio Chriſtiana Chriſtianis omnibus ore tenus ſanctiſſima eſt. *Eâ niti* perhibent *omne noſtrum in præſenti vitâ ſolamen, omnemque vitæ futuræ ſpem.* Attamen advertas pleroſque Chriſtiani

nominis homines, aut quæ ſit vera Chriſtiana Religio, argumentis, armiſque inter ſe ſine fine decertantes, id eſt, indicantes ſe nihil de ea certi habere, aut omnem quidem Chriſtianiſmum, ceu vulgi hallucinationem ſuſque deque habere, vita & moribus præ ſe ferentes. Nihil ergo antiquius Chriſtiano obtigerit, quam in fundata fidei ſuæ, & *prima ejus*, quæ appellitant, *motiva*, penitiſſimam inſpectionem feciſſe. Aſſecutus quippe *quare crediderit*, tenebit ſimul *quatenus credendum ſit*, regula fidei ex ejus radice potitus. Demum, cur ſit Chriſtianus conſcio clarebit & quæ ſit vere Chriſtiana Religio, & ea quam ſit vera, adverſus & infideles dehinc munito,

nito, & hæreticos. Hoc ego molimen aggreſſus diſpiciam pauciſſimis de certitudine humana generatim, tum deinceps examinaturus, an Religionis noſtræ capita eodem ritu, quo alia, de quibus certi dicimur, capeſſamus; aut quo demum jubare illa nobis affulgeant.

Sect. II.

De nomine, exiſtentiâ, & origine certitudinis humanæ.

1. CErtum eſſe de re quapiam eſt de omnibus ejus difficultatibus ſuperatis triumphare, nullum locum fluctuationi reli-

quisse; ut certa eadem sit, quæ plena judicatio; cui adnascitur quidem animi acquiescentia.

2. Nos hujuscemodi certitudinis exortes non esse, sine ulteriori contentione, non injuria assumo; cum id & natura perceptum & ratione multoties jam evictum habeamus. Quin duplicem eam, invita *SCEPSI*, persentiscimus. Quæ solidis, justisque fundamentis nititur, justa ac rationalis certitudo audire meruit: vana autem, & temeraria, quam ob causas leves ac futiles temere susceperis.

3. Nec ΠΛΗΡΟΦΟΡΙΑΝ illam, quæ vana sit, certitudinem nuncupare timeas. Est enim hæc scientiam inter & certitudinem differentia, quod

quod qui decipiatur; non ſciat quidem, ſed putet ſe ſcire; ij autem omnes certi ſint, qui ſe certos eſſe putent; veritas quippe ſcientiæ in conformitate judicii cum objecto ſita eſt; veritas autem certitudinis in plena mentis occupatione. Qui enim ſe putat certum eſſe, non invenit cur dubitet; qui neſcit cur dubitet, neſcit dubitare; (nam abſque cauſa dubitare, non naturæ eſt, ſed morbi) qui autem non dubitanter judicat, eſt revera certus. In quo quis ergo revera errat, in eo poteſt eſſe revera certus. Sed hæc præceps, & deluſoria certitudo non eſt tanti ad meum inſtitutum momenti, ut in ea explicanda verboſior eſſe debeam. Ea ergo miſſa.

4. Juſtæ,

4. Juſtæ ac rationalis certitudinis fontem unicum agnoſco illum a *Carteſio* diſcluſum, *claram* ſcilicet *mentis perceptionem*; ut jure certi ſimus de ſolis, deque omnibus, quæ clare videamus. Unicus, inquam, juſtæ certitudinis fons is eſt, quia quicquid ab hoc diverſum obtendatur, non excutiet repugnanti interrogationem iſtam; *Quò de hoc certus es?* Bene dicitur, *Scire eſſe per cauſam nôſſe:* certitudinem vero ſcientiæ ambiens urgebit, *Quò ſcis hoc eſſe illius cauſam? Quò cognoſci effectum ex causâ cognitâ?* Noviſſimum erit agnoſcere te certum eſſe de aliquo, quia id clare percipias. Si quis autem interroget de hoc ipſo, quod clare videamus, *Unde ſi-*

mus

mus ſecuri? Interroget idem, *Unde habeamus eſſe homines?* Sic enim eſt conſtitutio humana. Mens, ceu aut Princeps, aut vigil in omnium, quæ nobis inſunt, faſtigio ſedem habet, alia late ſpectans, nobiſmet caute proſpiciens. Ad quid autem vigil, ſi clare intuenti non creditur? Ad quid princeps, niſi juſſis ejus mos geritur? Certe, ut greſſus pedum, aſpectus oculorum, ita judicia mentis opera ſunt. Si firmiter ambulare, & clare intueri, quid ni & certo judicare naſcamur? Demum, certi ſumus de clare perſpectis, quia natura nos genuit noſtri minime ſuſpicaces. Etiam ut fingeres a maligno quopiam numine humanum genus agi, omnia-

que, aut pleraque fucata nobis oſtendi; ij tamen ſumus, ut aſſenſum clare viſis denegare nequeamus; deceptique aliunde jure noſtro certi ſimus.

Sect. III.

Quibus generibus judiciorum humanorum juſta aſſit certitudo?

1. Judicia humana duorum ſunt generum: habentur enim de re, aut ipſius intuitu, aut gratia alicujus extranei. Sive (quod perinde eſt) judicia quædam feruntur ob argumenta inſita, & artificialia, alia ob argumenta allata foris, & inartificialia. Iterum judicia

judicia ipſius rei perceptione nata ortum habent ex perceptione clara, vel obſcura.

2. Quæ præ ſe ferunt oriri ex perceptione rei obſcura, habemus *ſuſpiciones & opiniones*. Quæ etiam idcirco incertitudinem ſuam palam profitentur. Sect. 2. *n.* 4. Illis miſſis, de judiciis clara rei perceptione natis, ex contrariorum canone maturare datur. Ea omnia ſcientiæ nomine memorantur, prout in ſcientiæ nomen vulgo refunditur quicquid ubique eſt quinque habituum evidentium *Ariſtotelis*; Intelligentiam dico, ſapientiam, ſcientiam, prudentiam, & artem. Quid enim? cum pro conſtanti ſit (Sect. 2. n. 4.) claritatem perceptionis eſſe inte-

integrum fontem certitudinis, non ulterioris eſt negotii oſtendere ſcientiam, quæ cognitio clara eſt, eſſe certam.

3. In reliqua claſſe, ubi judicium habetur de re non *ob rem ipſam*, ſed *gratiâ alicujus extranei*, ſola eſt fides, id eſt, *is aſſenſus, qui rei narratæ conceditur ob authoritatem narrantis.* Sicut enim, quod rei intuitu innoteſcit, *Sciri* dicitur; ita quod fando pervenit *credi*. Alterum aut ex ſeipſo claret, ut in intelligentia; aut ex medio ſibi inſito clareſcit, ut in ſapientia, ſcientia, prudentia, & arte: alterum, cum ex ſe ſit nobis obſcurum, tum argumento aſſumpto & inartificiali (nec declaratur tamen, ſed) convincitur.

4. Hæc

4. Hæc autem, quam nuncupamus in narrante, authoritas, non aliud eſt, quam *evidens ejus infallibilitas*; *infallibilitas*, inquam, aut *abſolutè*, aut *quoad hoc*; quam quidem duplicem in narrante præſumit audientis fides: in ſe, & verſus alterum, id eſt, authorem, ita ſe habere aut ubique, aut ſaltem in hoc negotio, ut neque-at vel falli, vel fallere. Nam ſi minimum apportaret ſecum narratio periculum erroris, in eo jam hæreret animus dubiis aſſentiri neſcius.

5. Authoritatem teſtis dixi eſſe *notam ejus*, & *evidentem infallibilitatem*, quia nobis quod non apparet, & quod non eſt, æquipondia ſunt. Fides ergo licet immediate ex auditu naſcatur, e viſu tamen,

tamen, ſeu clara ſcientia oriunda eſt. Credo dicto, quod non video, ob authoritatem dicentis, quam clariſſime percipio. Atque hinc duo intelliguntur; primo, *fidem eſſe cognitionem obſcuram*; cum tota pendeat ex authoritate narrantis, quæ rei narratæ prorſus eſt extrinſeca. Intelligitur ſecundo, *fidem eſſe cognitionem certam, ſit licèt obſcura.* Certa autem eſt fides, non ſua, ſed ſcientiæ eam fundantis certitudine. Quippe quæ radices quidem ponit in ſcientia, ſed fidei etiam coaleſcit; nec tamen ut par ſit in utraq; ſed eadem. Perinde enim eſt, ſi narrantis infallibilitatem clariſſime percipio, ac ſi clariſſime perciperem ipſam rem narratam. 6. Li-

6. Libenter hic tacuerim eam in credente fiduciam, quam habet de proprio ſuo auditu, (*Pariter quippe deciperemur, ſi quod audimus, non eſſet narratum, ac ſi quod narratur, non eſſet verum*) licet enim auribus non raro illudatur, tamen objecto, organo, medio, omnibus ad audiendum per naturam requiſitis, debito modo habentibus, auditus jure ſummo infallibilis præſumitur; jure, inquam, menti cæteriſque facultatibus communi. Ad hoc enim datus eſt, ut ſit nuncius ſonorum, in quo munere, ſi rite ſe habens, nos falleret, opificis noſtri probro cederet. Sed hæc diſquiſitio jam ante ſuperius (Sect. 2. n. 4.) factitata

ctitata eſt. Quando vero hic ſenſus munere ſuo rite defungatur, Philoſophi generales ſtatuunt regulas, ſed prudentis, id eſt, cujuſque pro ſeipſo eſt judicare.

7. Jamque intelligitur fidem tum demum juſtam fore, *cùm & narrator indubitatæ fuerit authoritatis, & auditor narrata certò exceperit.* Hæc autem compertiora habebimus, ſi in differentias Fidei, variaque ejus genera ſcrutinio noſtro deſcenderimus. Fides autem alias *divina* audit, alias *humana. Humana fides* dicitur, quæ hominum prorſus authoritate nititur. Hanc inter mortales haberi nemo ſciat inficiari e multis millibus noſtratium, qui, cum nunquam pedem extra *Hiberniam* extulerint, minime

nime tamen ambigunt, quin ſint urbes *Londinum*, *Pariſii*, *Roma*: quin extiterint aliquando *Alexander Magnus*, *Julius* & *Auguſtus Cæſares*, *Carolus* ejus nominis primus *Magnæ Britanniæ* & *Hiberniæ*, ſanctiſſimæ memoriæ Rex. Omnia enim iſta fando ſolum audiverunt, id eſt, ſola fide humana tenent. Neque auſit quiſquam *temeritatis* hanc fidem notare; appello enim eandem experientiam, ſi non dementius fuerit de iſtis dubitare, quam iis plenum aſſenſum concedere; ſeu potius an poſſibile ſit, ut ratione utens in talem dubitationem incidat. Ut vero hujus fidei jus magis conſpicuum reddatur, particularius agam, ac.

8. Pri-

8. Primum assumo: *Posse esse testem humanum, qui nequeat decipi.* Nam qui clare & distincte videt, auditve, non potest eatenus decipi: (Sect. 2. n. 4. & Sect. 3. 6.) posse autem hominem clare nonnihil & distincte videre, audireque, sic cogitur; quia *frustra illis facultatibus muniti nasceremur, si uti iis, nisi cum formidine erroris, non liceret.* Hic repugnare, est convitiari naturæ nostræ artifici.

Assumo secundo: *Posse esse testem humanum, qui nolit decipere.* Nemo enim ratione utens, eum vult in re pernicioſi momenti deceptum, cui bene cupit; alioqui qua benevolus, male vellet.

Assumo tertio : *Posse nos esse alicubi jure securos de testibus, quòd non sint ipsi decepti.* Nam qui decipitur, temere assentiendo decipitur. Si quippe debitam adhibens attentionem deciperetur, hoc vitii refundendum esset in facultatum ejus authorem. Sed possum esse certus de testibus, quod supremam attentionem adhibuerint, nempe si indubitatum sit eos probe nosse, *decipi summam sibi noxam fore*, &, re aperte lenteque gesta, veritas fuerit in prompto; & adhuc sint valde multi. Nam facillimum non facere, summa utilitate movente, est amentiæ, cujus valde multos insimulare, est ipsum quidem amentis.

Assumo quarto : *Posse nos esse cer-*

tos de teſtibus humanis, quòd nolint decipere. Nempe ſi tradant id, in quo decipi ſciant ſummum eſſe malum aut ſibi, aut aliis, quibus ipſi optime velint, & adhuc ſint valde multi. Nam in perniciem aut tuam, aut tuorum fallere, naturæ adverſarium eſt, nec niſi de amentibus ſuſpicandum, adeoque non de valde multis.

Aſſumo quinto: *Poſſe eſſe teſtes humanos, qui in mendacio creando* (ut maxime velint) *coaleſcere etiam non poſſint.* Ut ſi multi, quorum intereſſet narratum falſum eſſe, cum multis conſentirent, quorum id verum eſſe intereſſet; ſi idem Gentiles & alieni, Chriſtiani & Turcæ, &c. aſſerant. Cujus exempla apponere minime eſt neceſſe

neceſſe, cum uſu veniant quotidiano. Ex quibus omnibus liquere arbitror fidem humanam (cum ſæpe vaniſſima ſit) certiſſimam, juſtiſſimamque eſſe poſſe; ita ſcilicet re habente, ut vel de noſtromet captu, vel de aliorum narratione ambigere ſit humanæ fabricæ meledicere.

9. Tandem *divina fides* eſt, *quæ authorem habet Deum.* Eſt mediata vel immediata. *Fides immediatè divina eſt, quæ habetur verbis Dei auditu proprio perceptis.* Ita Deo credidiſſe Abrahamus, & Moſes, ita Deo incarnato Apoſtoli perhibentur. Hic error ex parte narrantis locum habere nequit, cum Deus Opt: Max: nec poſſit decipi, nec velit decipere; utrumque e-

nim derogaret, alterum ejus omniſcientiæ, alterum bonitati. Culpa vero audientis, *fides*, quæ reputatur *immediatè divina*, non raro eſt vaniſſima. Exemplo ſatis fuit Gentium olim in oraculis veſania; nec minor nunc etiam apud Chriſtiani nominis profeſſores, non paucorum Enthuſiaſtarum. Demum ea firma eſt, quæ his rite nititur principiis, quod *Deus ſit author infallibilis* & quod *hoc nobiſmet ipſis ipſe verus Deus revera ediderit.*

10. Extremo loco, *Fides mediatè divina eſt, quæ habetur verbis Dei narratione humana nobis traditis.* Ita Judæi credidere Deo loquenti ore Moſis, & Prophetarum. Hic licet authoritas ſit immediate hu-

mana, fides tamen merito divina audit ab authore primo, maximoque, cujuſque author immediatus non fungatur niſi munere miniſtri, & inſtrumenti. Quod ſicui ſubtilius rimanti duplex hic compareat fides, *divina, qua creditur verbis quæ ſunt Dei, & humana, quâ creditur ea eſſe Dei verba*, non contendo, conſtet modo hujuſcemodi fidem ſe reſolvere in has duas certitudines, quod *Deus vera edixerit authori noſtro humano*, & quod *author humanus dicta Dei nobis verè tradat.*

11. Ex principiis poſitis colligo,

1. Fidem gradus non habere, ſed ſibi ſemper eſſe aqualem. Fides enim eſt aſſenſus, dubitare autem eſt aſſenſum ſuſpendere;

ergo ubi est vel minimum dubitationis, ibi nulla est fides, & ubi nulla retrahit dubitatio, ibi summa est fides. Fides ergo semper in summo est, ac proinde non est plus, vel minus. Nonnullorum tamen fides jure audiit exigua, idque ex parte subjecti, & objecti: ex parte subjecti, *cùm homines pertinaciâ, vel socordiâ se ineptos reddiderint ad capessenda argumenta fidem credituris necessariam facientia*, ut fides exigua sit quasi nulla, aut certe maligne, & difficulter data. Ex parte objecti fides exigua dicitur, si paucioribus habeatur quam par erat; ut *cum animus uno principio fœcundo irradiatus, se ad alias veritates non erigat, connexas, pares, minores*, Mat. 16.8. obque contra-

rias

rias cauſas, fides alias magna prædicatur. Sicubi autem fides infirma nuncupetur, non in ipſa, ſed in fundamentis ejus culpatur defectus, nec ad gradum fidei, ſed ætatem pertinet. Perinde enim eſt fidem infirmam eſſe, ac *arenâ niti, ventiſque, ac procellis ludibrium debere.*

Colligo 2. *Nulli homini in ſuâ manu eſſe cuilibet dicto fidem elargiri.*

Fides enim pendet ab authoritate narrantis, quæ arbitrii audientis minime eſt.

Colligo 3. *Non eſſe opis noſtræ fidem authori fide digno denegare*; non magis certe, quam apertis oculis nolle videre. Non quod fides ex voluntate non pendeat, ſed quia convictioni voluntas jam affuit;

ſic ut convictum non credere perinde ſit, ac volentem nolle.

Colligo 4. *Fidem divinam non eſſe ex nobis, i. e. ortum ſuum etiam totius naturæ viribus non debere, ſed eſſe donum Dei & revelantis, & convincentis.* Nec enim revelationem ſupernaturalem noſtrum erat expectare, nec etiam agnoſcere, niſi argumentis ſupernaturalibus commendatam.

Colligo 5. *Fidem non eſſe officii humani, niſi argumenta afferat rationi irrefragabilia.* Nam niſi talibus cedere non poſſumus, nec quiſquam ad impoſſibile obligatur. Atque hinc ſequitur, *Chriſtianam religionem, ut juſta ſit, ac ſyncera, homini docili, i. e. mentem, ſenſuſq; adhibenti, evidenter probari poſſe.*

Nec

Nec enim aliter ſalutis efficax foret, quippe impar rationi, nec niſi apud temerarios locum habitura. Ac proinde *infidelitatem indocilitatis ſpeciem eſſe, culpariq; gentes, non quòd non credant, ſed quòd nolint credere.* Ac *generalibus* his hactenus indultum ſit, ut ſint quaſi feneſtra aperta in fundum cauſæ deſcendenti.

Sect. IV.

De Claritate Religionis Chriſtianæ.

1. STatim vero a principio anceps ſe oſtendit via; ſubſiſtendumque parumper eſt, donec viderimus, ſitne ſub titulo Fidei quærenda Theologia Chriſtiana, an potius ſcientias inter? Id eſt, probetne

betne ſe humano generi argumentis inſitis, vel aſſumptis? Suane luce ſe oſtendat, an mutuatitia? Certe ex noſtratibus non rarus audio, *Evangelium ipſis fuiſſe primùm foris commonſtratum, poſt verò ſe veritatem ejus, cæleſtémque originem oculis ſuis vidiſſe; quippe quòd (ut lumen) ſeipſo ſit conſpicuum.* Cui declarando adhibent dictum Samaritanorum concivi ſuæ, *Joh.* 4. 42.

2. Quibuſcum ego quidem huc uſque concedo

Primo, *Deum eſſe, eſſe mundi rectorem, ac proinde ab hominibus eſſe colendum*, oculo naturæ patere, atque ex terminis (ut loquuntur) demonſtrari poſſe.

Secundo, *Omnium (quos quidem*

dem contigit noſſe) preterquàm Judæorum, ac Chriſtianorum cultus ex ſeipſis falſitatis poſſe convinci.

Tertio, *Nondum aut Iudaicam, aut Chriſtianam Religionem ſic eſſe convictam.*

Quarto, *Chriſtianiſmum Judaiſmo longè eſſe commendatiorem (argumentis etiam inſitis) naturæ humanæ.* Ex quibus ſequitur, omnes homines, revelationis licet inſcios, ad Religionem Chriſtianam ipſius intuitu, atque contemplatione vehementer invitari; inexcuſabiles quippe fore qui aliam præelegerint optimæ. Sed per hæc (fateor) alios verius impetimus, quam noſmet tuemur; nec tam vincimus quam provocamus. Non enim

enim ſi Religio Chriſtiana alias ſuperet, ſtatim ipſa bona eſt: Nec ſtatim eſt vera, quia mendacii non convincitur.

Adde cultum Judaicum (Chriſtianis fatentibus) verum olim fuiſſe, ac legitimum; at cultus Dei (ut ipſe Deus) jure videatur immutabilis.

3. Ut ergo partem hanc cauſæ conficiam, Chriſtianæ Religionis res in credendas, & agendas ſecerno, aioque,

Imprimis, Omnia Chriſti mandata (ſeu Chriſtiano agenda) eſſe maxime conſentanea ratio credentis; haud ſolum quia, qui imperat, poſſit cogere obſequium, ſed maxime, quia inſtituit præmia omne meritum ſuperantia.

Secundo,

Secundo, In Mandatis Christi multa sunt contra rationem non-credentis; ut abnegare seipsum, mori pro Domino, pro fratribus, &c.

Tertio, Credenda a Christiano per indagationem humanam nullatenus inveniri potuisse affirmo, nec revelata quidem ex seipsis ostendi. Evangelium enim (qui Thesaurus est articulorum fidei Christianæ) se esse perhibet consilium Dei de hominibus ad salutem per Christum ducendis; Deum etiam nulla ex paate nobis devinctum hoc consilium liberrime iniisse. • At in libere factis utraque pars contradictionis parem habet probabilitatem.

Qui dicit Deum hæc statuisse, dicit

dicit eum potuiſſe contraria ſtatuere; ergo in ipſis dictis nihil eſt momenti, quod animum ad aſſentiendum magis, quam ad diſſentiendum, quod ad hæc, quam ad contraria magis inclinet. Ut compertum igitur pono doctrinæ Chriſtianæ veritatem non eſſe ex ipſa doctrina notam, ſed opus habere medio foris allato, ſeu teſtimonio minime fallaci, ut (poſtquam viſus acie impenetrabilis ſit) firma & rationali fide eam capeſſamus.

SECT.

Sect. V.

De Teſtimonio ſpiritus privati.

1. Diſputationem ingreſſis de eo, qui nobis Religionis noſtræ teſtis ſit αὐτόπτης, primi occurrunt *Enthuſiaſtæ, ſpiritum ſanctum corda ſua incolentem obtendentes; hunc ipſis eſſe ducem vitæ, ab hoc ſe edoceri omnem veritatem, etiam occulta Dei, hunc eſſe ſuæ fidei authorem.* His ſi litem intendas, quod eo Magiſtro freti in ſenſa diverſa, atque adeo oppoſitiſſima diſtrahantur, nec certum relinqui cuinam ex tot eum vindicantibus Sectis ſpiritus addici jure poſſit, aut omnino an

an ſit verus ille, quem nuncupant, ſpiritus ſanctus, & non cacodæmon quiſpiam, cerebrive ſui delirium. Si inquam ſic argueris homines, opponent ſatis cum conſtantia, *quòd ſpiritus ipſis veritatem clariſſimè dictet, quódque eum ab omni falſo ſpiritu non difficiliùs, quàm lucem à tenebris internoſcant. Id verò nobis liquidum reddi non poſſe, quia ſumus naturales, nec niſi naturæ oculo ſpectamus. Sic ut res non ſit inexplicabilis illis, ſed nobis imperceptibilis.* Atque ita, quo impetuntur telo, ſe tuentur, teſtemque inviſibilitate, cujus inſimulatur, invulnerabilem præſtant. Idemque omnibus omnium Enthuſiaſtarum ſectis commune ſcutum. Ut enim verum ſit *ſpiritum illum*

illum cœleſtem uni ſolum ſectæ adeſſe, cum tamen omnes pari eum violentia ſibi vendicent, neſcias quempiam notare ut ſpuriam, ne genuinum offendas.

2. Subit ergo, Enthuſiaſmos hos admittendos eſſe; quos quia non poſſumus intelligere, non videmur poſſe refellere. Sunto omnes vere Chriſtiani ΘΕΟΠΝΕΥΣΤΟΙ & ab inſtinctibus ſibi privatis voluntatem Dei edoceantur. Hinc ſtatim ſequitur eos in re nulla Mortalium ulli obnoxios eſſe. Nec enim domino terreno eum ſubdi par eſt, cui Dei, *i. e.* ſupremi domini voluntas immediate pateat. Nec fas eſt hic *dominium ſpiritus intra fines religionis coërcere, quaſi civilibus prudentiæ humanæ relictis.* Nam ſpiritui,

qui hodie cœleſtia ſolum edocet, eras fortaſſe etiam terrena edocere lubebit. Certe utrumque pari jure poterit affirmare Enthuſiaſta, *i. e.* poterit affirmare utrumque. Imo vero ſi Deus juſſerit aliquid alicui auferre, quempiam occidere, bellum gerere; obedire ſane bonum, ac religioſum eſſet: communi omnium calculo, peccatum etiam non-obedire. Statuatur ergo ſemel ſpiritus privatus religionis Chriſtianæ doctor authenticus; idemque mei, & tui, belli, & pacis ſupremus judex ſtatuetur.

3. Atque hinc ſequitur *nullas fore apud Chriſtianos leges civiles, nullum magiſtratum, ordinemve rerum publicum.* Quid enim? eſto eorum qui s reus ſeditionis, aut homicidii:

micidii: fatebitur *factum*, *jure etiam factum contendet*, *jussu scilicet spiritus sancti*. Quid tum judex civilis? num multabit hominem, quia obsecutus est spiritui suo privato, quem ipse ei gubernatorem esse agnoscit? Reus (nec tum male usus ratione) dicet: *num judicio tuo à spiritu privato regi debeo, & judicio tuo, quia id factum est, pœnas dabo?*

4. Atque ex his sequitur, contra rationem esse, ut homines amplectantur religionem Christianam aut ei summa vi non obnitantur. Quippe quæ publicum regimen solvendo parens sit absolutæ libertatis, status humano generi omnium exitiosissimi. Si dicitur, quod in hoc statu nil mali jure *timeatur ab*

hominibus, qui ſpiritu Dei aguntur; regero, nonnihil tamen jure timeri ab eorum aliquibus, qui dicent ſe ſpiritu agi. Cumque nobis non contingat internoſcere hypocritas a vere *ſpiritualizatis*, permittere, ut *verè ſpiritualizati* a ſpiritibus ſuis regantur, eſt iſtiuſmodi conditionem præ ſe ferendi omnibus jus facere: & hoc eſt omni magiſtratu, & publico regimine nos denudare. Si dicitur, *incommoda quæ huic vitæ oboriuntur è Chriſtianiſmo, abunde ſuperque penſari fœlicitate vitæ æternæ*; reſpondeo, id nobis quidem certum eſſe; ſed per Enthuſiaſtas nulla pars Evangelii, itaque nec regnum cœlorum innoteſcit niſi per ſpiritum privatum, ac proinde hominibus, quos Deus nullo præ-

terquam

terquam rationis lumine (quales ante ſuſceptum Chriſtianiſmum omnes ſupponuntur) dignatus eſt, Evangelii incommoda temporalia odio jure erunt, compenſatio cœleſtis ludibrio.

5. Atque ex his clariſſimum fit (quod ambivimus) *ſpiritum privatum non eſſe authenticum doctorem Chriſtianæ religionis*; cum liquido contra rationem ſit, ut *per id* quidpiam introducatur, *ob quod* jure depellitur.

SECT.

Sect. VI.

De Teſtimonio Scripturæ ſacræ.

1. Excluſis Enthuſiaſmis, nihil vulgo Noſtratium in ore familiarius, quam Scripturam ſacram eſſe fundamentum fidei noſtræ. Quod ſic nude poſitum nullatenus intelligi poteſt. Unde enim liquet has Scripturas eſſe verbum Dei? Jam evictum eſt (Sect. 4.) id ex ipſis innoteſcere non poſſe; quippe quæ contineant res a Deo, hominibuſque libere geſtas, ac proinde quarum oppoſitæ poſſent fuiſſe. Si autem Scripturæ alio teſte indigeant ad ſui confirmationem, non ſunt ipſæ fundamentum, ſed

ſed ad plurimum pars ſuperſtructa fidei noſtræ.

2. Qui attentius ergo loquuntur, *Scripturam ſacram* aiunt *aliunde confirmatam, eſſe deinceps Chriſtianis fundamentum, & regulam fidei.* Si autem inſtes, Cujus teſtimonio Scripturas capeſſamus? *reſponſis variatur.* Calvinus negotium refundit in *Spiritum Sanctum; hujus unius authoritate fretam conſcientiam poſſe aquieſcere Scripturis ut verbo Dei; huncque Spiritum in hoc opere a quoquam fallaci ſpiritu eodem negotio internoſci, quo lucem a tenebris.*

3. Interea cum in proclivi omnibus ſit ſuſpicari vanitatis iſtas oſtentationes quarum nihil indicii foras in propatulum edi poteſt,

pro-

provocareque ad teſtem inviſibilem ſubeat ſpeciem quærendi latebras, tum hunc ſpiritum Calviniſticum non minus confectum reor ſuperioris paragraphi telis, quam illum alterum Enthuſiaſtarum; ſeu verius hunc ab illo alium non eſſe. Hic enim ſpiritus, peto, num Scripturæ ſacræ verbis ſolummodo ſuffragatur? aut ſententiam etiam declarat? *Si prius*, ſequitur impar operi ſuffragium ab eo adhiberi; nam fides neſcit fundari in apicibus literarum, ſed in ſententia. Sequitur etiam neminem, niſi græce, aut hebraice ſcientem hoc afflari ſpiritu: nam quæ circumferuntur Scripturæ certe quoad voces ſunt opera hominum erroribus obnoxiorum. Age ergo; Num hic

ſpiritus,

ſpiritus, *ut verbis Scripturæ ſacræ atteſtatur, ita eorum ſenſum etiam animo exhibet?* Aude in hoc, & protinus fis Enthuſiaſta; quippe qui privatis inſtinctibus totam tuam Religionem acceptam referas. Annon enim perinde eſt profiteri palam nos in omnibus credendis, & agendis a ſpiritu ſancto duci; ac dicere nobis a Spiritu ſancto confirmari & verba & ſententiam Scripturarum, quæ quidem omnium regula nobis eſſe debeant? Indulgeamus autem exemplo ſuperius adducto. Sit Calviniſta homicidii, aut perduellionis reus: annon ei ſic diſputare licebit coram Magiſtratu etiam Calviniſta? *Concedis mihi ut ſim Chriſtianus, Chriſtianam fidem in verbo Dei fundari ais, neque in*

eo interpretando ſpiritum Dei, qui in me eſt, ſequi jus faſque eſſe; quod ego in hoc facto, quod tu ſcelus vocas, purâ conſcientiâ præſtiti, eò ductus hujus aut illius textus Scripturæ juſſu: per te ſi non obſequor huic ſpiritui, non ſum Chriſtianus; num tu Chriſtianus me, quia Chriſtianus ſum, punies? num damnabis me, quia fecerim id, quod tute me facere debere ais? Quid multa? Certe aut idem eſt, aut par Calviniſtam eſſe, ac Enthuſiaſtam. Hic omnia religionis e ſpiritu haurit, ille omnia e Scripturis, & Scripturas e ſpiritu. Quæ differentia, niſi in ambagibus verborum? Uterque igitur eodem obice excluditur. Verba, ſenſaque Scripturæ, id eſt voluntatem Dei, a ſpiritu privato

tibi

tibi confirmatam habes, Calviniſta, hominibus ergo obſequium nullus debes, ac proinde ubi religionis tuæ profeſſioni ceditur, ibi repudium mittitur omni regimini civili; at ſine regimine civili miſerrima eſt hominum conditio. Quo jure igitur ſibi conſulunt homines, eodem religioni tuæ obſiſtunt. Prorſus autem incommodus eſt teſtis, qui cauſam, cui atteſtatur, deſtruit.

4. Alii Scripturarum ſacrarum principatum in fide noſtra hoc tuentur titulo, *habere nos ſcilicet ex traditione univerſali, quòd hæc biblia ſint verbum Dei; hoc vero ſemel agnito, relinqui cujuſque rationi articulos fidei inde eruere.* Hujus priorem partem ſepono examinandam inferius. In *D. Falk. & Chil.*

poſte-

posteriore non videor, nisi solis vocibus, motus ab Enthusiastis. Res est eadem, eadem pericula, seu potius impossibilitas vivendi. Nam ut illic, hic etiam redditur unusquisque rerum suarum summus in terris arbiter. Illic singuli spiritu suo regendi; hic ratione sua singuli. Quod ad effectus omnes externos attinet, perinde est quo nomine gubernatorem privatum appelles, publicum certe regimen utrobique tollitur. Quæro enim, itane privatæ rationis opus sit interpretari Scripturas ut talium interpretamentorum securi simus, per eaque vitam dirigere incumbat? Si minus, frustra clamamus *biblia, & verbum Dei*; cum a certo eorum sensu excludamur. Si enim ipsa

inter-

interpretamenta incerta ſint, quæ eſt certitudo fidei iis ſuperſtructæ. Dicere *ſacras Scripturas ſingulis patere exponendas, neminem autem expoſitionis ſuæ certum eſſe*, adeo non eſt ſcripturis ſacris honorem exhibere, ut eaſdem ſit exinanire, & contemnendas popinare. Ponamus ergo e contrario gentem quampiam, rempublicamve ita exiſtimare, *quòd unuſquiſque exponere debeat Scripturas ſacras pro ſeipſo, ſuæque expoſitionis ſecurus eſſe poſſit*; dico fruſtra ibi fore judicem ullum civilem, *i.e.* nullum ibi fore. Sic enim reum cujuſlibet facinoris cauſam ſuam agere oporteret: Dediſti mihi, *Judex, intra manus meas hunc librum*, (& oſtendet Biblia ſacra) *confirmâſti eum eſſe verbum Dei*,

Dei, méque ejus unicum mihi esse interpretem. Ego autem sic interpretatus sum hunc, & illum alterum textum, ut convincerer officii mei esse, id exequi, cujus jam sum reus. Neque hic decebit misero objicere, *sensa sua esse absurda, & minimè istis verbis congrua:* est enim cuique suum sapere: & ex suppositione, unusquisque eam tenetur sequi, quæ sibimet, non quæ aliis videtur Scripturarum sententia.

5. Sed *articuli fidei* (dicunt) *qui sunt necessarii ad salutem, tantâ cum evidentiâ in Scripturis sacris exhibentur, ut oculos feriant obtusissimos. Nec aliud ipsis in animo esse, quàm quòd interpretationes nostras evidentes, easque solas sequi debeamus. Quo pacto nihil perniciei è*

Scrip-

Scripturâ ſacrâ tractum iri conſtat; ac proinde hyperbolicos de hoc timores excutiendos eſſe. Verum hæc minime medentur malo; nam ſi ſemel me facis legitimum Scripturæ ſacræ interpretem, vel quoad neceſſaria quidem ad ſalutem, me omnimodum ejus interpretem facis. Id enim fortaſſe videbitur neceſſarium mihi ad ſalutem, quod tu ei contrarium ducis. Nec id contendo, ut trahat quiſquam è Scriptura ſacra facinoroſa conſilia, ſed quod mali ſui genii incitamentis Scripturæ ſacræ juſſa cuique liceat prætendere. Tandem robur argumenti per iſta minime labefactatur, ac ne tangitur quidem. Non enim ſic diſputo. *Privata Scripturæ interpretatio non eſt regula fidei adeoque*

que vitæ Christianæ, quia ob tales eventus possibiles est periculosa. Sed sic: *Non est ea regula fidei Christianæ, quâ semel admissâ contra rationem erit judicare, aut omnino regimen publicum adhibere; at regimine uti publico miserè contra rationem erit,* si unusquisque privata sua sacræ *Scripturæ interpretatione regendus sit.*

6. Sub eadem pœna infero, neminem prorsus (nisi cœlitus inflatum) de suis interpretamentis Scripturæ certum esse posse. Constet enim semel Mortalium quempiam vel unius versiculi indubitatam sententiam *vi aut rationis, aut gratiæ communis* reddidisse, & *cuilibet quamlibet expositionem pro certâ habere* copiam facere necessum erit: Si inquam, vel uni Christianorum hoc con-

concedis, Christiana charitas *alienam nescia imminuere facultatem*, nemini patietur adimere. Si *natura certum eruit Scripturæ sensum*; sunt Christiani omnes homines; si *gratia*, tum id præstare communionis est sanctorum. Et si certa cuique adsunt Dei mandata, frustra in populum sua sparget imperia mortalis Princeps. Tam ergo incerta est privata Scripturæ interpretatio, quam certum est regimen publicum hominibus Christianis esse necessarium.

7. Sed quid ni altius adhuc philosophemur, & *à priori* (ut loquuntur) demonstremus *neminem mortalium*, qui nunc sunt, *de suâ privatâ Scripturæ sacræ interpretatione certum esse?* Omnes enim voces

ſunt æquivocæ. Vix minimum eſt ſyncategorema, quod ſuos non patitur homonymiæ manes. Ergo ex ſcriptis nihil intelligitur, niſi ubi ſcriptor legenti indigitat res per illa verba ſignificatas; quod nobis poſt 7 fere ſæcula in Scripturis ſacris exponendis uſui eſſe non poteſt. Certe, ſicut quia voces ad imponentium placitum ſignificant, ideo ſine commonſtratore nemo ullam ullius vocis ſignificationem norit; ita quia omnes voces varia habent ſignificata pro libitu loquentium, certam ullius vocis ſignificationem neſcias ſine rei indigitatione per ipſum loquentem, aut alium voluntatis ejus participem facta.

8. Si dixeris *unum locum per*

alium

alium esse exponendum; oppono, Per quid illum alterum exponis; scilicet *per tertium, & tertium per quartum*; tandem quia textus infiniti non sunt, *ultimus est exponendus per primum, quem tamen, nisi per ultimum non habemus expositum.* Sed *contextus*, dices, *habenda ratio.* Insto, omne motum niti aliquo quiescente. Quid ad certitudinem attinet, contextum integrum attente volvisse, cum singulæ partes pariter sint dubiæ? Ecce, variæ sunt significationes propriæ, translationes infinitæ, & minima in una vocula varietas totam sæpe orationis sententiam variavit. *Et unde certus redderis scriptum non esse allegoricum? Unde in scripto veteri voces, ut ævum, sic significationem non*

ſunt æquivocæ. Vix minimum eſt ſyncategorema, quod ſuos non patitur homonymiæ manes. Ergo ex ſcriptis nihil intelligitur, niſi ubi ſcriptor legenti indigitat res per illa verba ſignificatas; quod nobis poſt 17 fere ſæcula in Scripturis ſacris exponendis uſui eſſe non poteſt. Certe, ſicut quia voces ad imponentium placitum ſignificant, ideo ſine commonſtratore nemo ullam ullius vocis ſignificationem norit; ita quia omnes voces varia habent ſignificata pro libitu loquentium, certam ullius vocis ſignificationem neſcias ſine rei indigitatione per ipſum loquentem, aut alium voluntatis ejus participem facta.

8. Si dixeris *unum locum per*

alium

alium esse exponendum; oppono, Per quid illum alterum exponas; scilicet *per tertium, & tertium per quartum*; tandem quia textus infiniti non sunt, *ultimus est exponendus per primum, quem tamen, nisi per ultimum non habemus expositum.* Sed *contextus*, dices, *habenda ratio.* Insto, omne motum niti aliquo quiescente. Quid ad certitudinem attinet, contextum integrum attente volvisse, cum singulæ partes pariter sint dubiæ? Ecce, variæ sunt significationes propriæ, translationes infinitæ, & minima in una vocula varietas totam sæpe orationis sententiam variavit. *Et unde certus redderis scriptum non esse allegoricum? Unde in scripto veteri voces, ut ævum, sic significationem non*

mutâſſe? Sed *jure*, inquies, *præſumitur*, *ſcriptorem idem ſignificâſſe his verbis*, *quod iiſdem loquentes ſignificant.* Ego vero aio, nec loquentis ſenſum nos capturos, niſi indicio aliquo verbis ſuperaddito edoctos. Quod non evincunt magis veterum oraculorum ſophiſmata, quam quotidianæ captiones per quas invicem volentes nolentes imponimus. Rem totam ſic definio: Unuſquiſque alium loquentem ſcribentemve intelligit pro ſuomet modulo. Qui hac cognitione his affectibus utitur, *hoc modo interpretatur*, aliter præpeditus *alio.* Vel ergo aliena verba interpretaris, ut alii communiter, vel ſenſu privato; ſi ſenſu tibi privato & aliis contrario, oportebit præjudicaſſe loquentis animum

animum tibi magis, quam aliis affinem esse; nam si ita afficeretur loquens, ac interpres tibi contrarius afficitur, tum per ista verba vellet *non quod tu*, sed quod alter eum velle contendit. Ex verbis *vero toti genti* communibus non intellexeris privata, & particularia loquentis studia; ac proinde ex meris verbis scribentis, loquentisve de ejus voluntate certus esse nullus potueris. Si vero verba, ut vulgo exponuntur, exponis, securus fortasse sis copiarum, non vero certus expositionis. Certe non plus habes certitudinis de expositione communi, quam multitudini conspiranti fidem præstas, cum ostensum sit neutram partem dissentientium esse ex verbis certam sententiæ.

9. Demum

9. Demum si dixeris, quod vulgo dicitur *singulos textus Scripturæ sacræ esse exponendos secundùm analogiam fidei communis*, tota causa decedis, nec expositionem privatam regulam esse fidei contendis, sed fidem communem privatæ esse expositionis regulam fateris. Denique concluſum arbitror haud frustra dixisse Apostolum: Nullam Scripturam privatæ esse interpretationis.

SECT.

Sect. VI.

De Teſtimonio Papæ, & Eccleſiæ Romanæ.

1. RElIqui ſunt Chriſtiani, qui teſtem externum appellant; ubi primi irruunt vehementiores illi quidem Romanæ Eccleſiæ ſatellites, qui *Papæ, aut* (quod idem ſonat) *Eccleſiæ Romanæ determinationibus Chriſtianorum omnium fidem pronam, atque obedientem exigunt.* Qui neſcio an non debiliore cauſa utantur, quam ipſi etiam Fanatici. Iſti, *quem non videmus, ſpiritui credi volunt*; hi etiam *illi fidem habendam clamitant, quem hominem eſſe, id eſt, & fallere,*

& falli natum videmus. Quasi facilius sit contra omnia argumenta, quam sine ullo assensum prostituere. Quo vero titulo infallibilitatem sibi vendicat Romanus Pontifex? Si *naturæ*, est ille homo inter multos unus, & Orbis major est urbe. Si gratiam omnibus communem obtendit, ea, quia omnibus communis, privatum Papæ privilegium non porrigit.

2. Attendamus ergo oportet *ad gratiam specialem Papæ*, ut *Beati Petri successori à domino concessam.* At post annos plus decies sexies centenos qui liquet *Papam* esse *Petri* successorem? qui *Ecclesiam* fuisse *Petro* concreditam? qui fuisse, qui concrediderit *Christum?* Si Scripturas sacras appellant, si testi-

monia

monia Patrum, ipſis fatentibus, prius Scripturæ, Patribuſve creditur, quam Papæ. Fit ergo, *Papæ infallibilitatem non eſſe fidei noſtræ fundamentum, ſed litigandum relinqui, an omninò ſit pars ejus ſuperſtructa.*

Sect. VIII.

De Eccleſiâ Catholicâ.

PErrupi tandem ad eos, qui *Eccleſiæ Catholicæ fidem ſuam obnoxiam habent*, id eſt, credunt has Scripturas verbum eſſe Dei, hanc earum eſſe ſententiam, generatim hoc lege Chriſtianiſmi credendum, agendumque eſſe, quod ita doceat Eccleſia univerſalis.

Quæ tamen non ſingularis eſt profeſſio, ſed plura ſatis inter ſe pugnantia dogmata complectens. Quæ omnia ut exantlemus, primum *quid nomine Eccleſiæ Catholicæ deſignetur*, inveſtigandum eſt; tum poſtea *quâ ratione ei fides haberi poſſit*, inquirendum; tertio loco, *quî conſuli poſſit Eccleſia Catholica*, explicandum.

Sect. IX.

Quid nomine Ecclesiæ Catholicæ in hâc causâ designetur?

1. Nonnulli ita instituti, ut *omnes ab Ecclesiâ Romanâ dissentientes*, hæreseos notent, Ecclesiam Catholicam definiunt *Universitatem illam Christianorum, qui Ecclesiæ Romanæ dicto audientes sunt.* Sed cum (Sect. 8.) demonstratum sit, authoritatem Papæ non aliter quam fide cognosci posse, sequitur nec totius Ecclesiæ edicta ad fundandam fidem Christianam satis roboris ex eo habere, quod *Papâ consentiente proferantur.* Certe, apud quos *ipse Papa infallibilitate*

bilitate non fruitur, apud eos *consensus cum Papâ infallibilitate alios donare* neutiquam valeat. Itaque Catholicæ Ecclesiæ titulo inepte additur Romanæ, *Infidelibus*, id est, *nec Papæ, nec Ecclesiæ dicta suspicientibus*, Ecclesiæ ob Papam nunquam cessuris.

2. Alii ab his non parum dissiti Ecclesiam non aliter universalem reputant, quam ut *præsentem universam cum à Christi temporibus præteritâ* una sumas. Itaque illud solum amplectuntur ut Christianum dogma, *cui antiqui Patres, & Doctores præsentes testimonium consentientes, præbeant*; seu verius, quia præsens ævum corruptelis irretitum vident, *è solis veteribus Religionem nostram eruendam* autumant.

mant. Sed quanto quanto cum plausu hoc a Noſtratibus vulgo recipiatur, nulla tamen ratione videtur admittendum. *Imprimis* enim, quam *præſentis ævi* Doctoribus fidem negamus, cur *veteribus* prodigimus? aut ſi ſingulas ætates fallaces agnoſcimus, cur *ſeriem omnium* infallibilem habeamus? *Secundo*, ſcripta Patrum exponis vel per rationem privatam, vel per inſtinctus privatos: utrobique tuorum te arbitrum conſtituis, regimen publicum ſolvis, ac demum argumentis *Paragraphi ſexti* opprimeris. Quid enim refert *Scripturas ſacras* non pro libitu tuo, ſed juxta *Patres* exponere, *ſi Patres ipſos* exponis pro libitu tuo? Imo, ſi privatæ interpretationi cedendum eſſet,

esset, quanti referret *Scripturis* Canonicis *Patres* addere non canonicos? *Tandem* aio *veteres & omnino præteritos nihil virium addere testimonio præsentis Ecclesiæ.* Qui enim liquet extitisse Hieronymum, Augustinum, &c.? Qui volumina eorum nomina portantia ab ipsis fuisse conscripta? Non ab aliis efficta? Testimonium certe solius præsentis ævi de his habemus. Fides ergo pendens ab Ecclesia præterita, & præsente, pendet a præsente sola. Possumus quidem veritatem e *veteribus* eruere, sed hanc facultatem *præsentibus* debemus; cum illi non plus fidei meruerint, quam ab his acceperint. Quod autem de integris authoritatibus dico, id pari cum robore de singulis sententiis, singulis vocibus intelligi potest.

Sect. X.

Quo nomine fides habeatur Ecclesiæ Catholicæ?

1. A Fundanda fide noſtra excluſimus quamcunque perſonam, quamcunque Eccleſiam particularem, univerſalem etiam Eccleſiam ut perſonæ ſeu ſedi particulari alligatam, necnon Eccleſiam univerſalem *ſcribentem*, ſeu *ætatum* illam *prætervectarum*; Eccleſiæ Catholicæ nomine deinceps ſignificaturi univerſitatem Chriſtianorum *vivorum*; qui quo titulo fidem mereantur, ſequitur inquirendum. *Atque* hic nonnulli promiſſa Chriſti regerunt, quod portæ inferni

inferni non ſint contra Eccleſiam prævalituræ; item opem Spiritus ſancti, qua reddatur Eccleſia columna veritatis, &c. Sed hæc adeo non ſatis faciunt quærenti; ut pars ſint quæſiti. Ut non dubitem Chriſtum fuiſſe filium Dei, unde tamen ſatisfiet, hæc privilegia Eccleſiæ ſuæ revera fuiſſe conceſſa ab *eo*, & non a *ſeipsâ* aſſumpta? Si aliunde confirmatum dicis, jam alium authorem inducis fidei tuæ Eccleſia priorem. Si vero ex ipſa Eccleſia didiciſti, quod *ſit infallibilis*; vel nuda hoc tibi perſuadet aſſertione, vel argumentis confecit; ſi nuda aſſertione, tum credis ei, non quia eſt, ſed quia dicit ſe eſſe infallibilem. *Argumentis ergo infallibilitatem ſibi vendicat Eccleſia?* At argumentis

gumentis naturalibus ſupernaturalis facultas nequit aſtrui. *Miraculis ergo cogit aſſenſum?* quorum quidem piget meminiſſe, cum quæ iſtiuſmodi nonnulli jactitent, adeo fidem non faciant, ut ne habeant, fruſtraque aſſenſum illum, quem aliis pollicentur, mendicent ſibi.

2. Atqui excluſa (*ab hoc quidem opere*) ſupernaturali Eccleſiæ infallibilitate, nihil habet ea ulterius, cui attendamus, præter hominum, ex quibus conflata eſt, naturas. Sequitur ergo ſcrutinium, *an homines Eccleſiæ ita nati ſint, ut quodcunque aiant, ei aſſenſum ab omnibus dari jus, faſque ſit.* Cum autem non omnia eodem tenore ab hominibus, ſed alia ut viſa, alia ut audita, alia ut judicata, alia eti-

am ut ſuſpecta affirmari ſoleant; non protinus quæſtioni ita generatim propoſitæ reſpondendum eſt. Sed ſpectandum prius, an *Eccleſia diverſimodè proferat edicta ſua*, ut quid cuique prolationis modo juris ſit ad cogendam fidem, videamus.

3. Advertere igitur licet duobus nos modis ab Eccleſia inſtitui in Religione Chriſtiana, per traditiones & per illationes. Ita enim perhibetur: *Chriſtum capita Religionis noſtræ Apoſtolis revelâſſe, perque eos mundo declarâſſe; nec eſſe juris Eccleſiæ, ut hæc aut augeat, aut minuat. Ex illis vero principiis licere Eccleſiæ concluſiones deducere, quæ ſuperſtructura ſint in ædificio Religionis.* In fundamentalibus illis

illis edocendis Ecclesia *testem* agit, in superstructis *judicem*. Duplex itaque se hic offert disputatio, de *testimonio* Ecclesiæ, & de *judicio*; num infallibiliter tradat fundamenta? & his positis, num infallibiliter ex iis in superstructiones assurgat? Hanc posteriorem partem, quia facilioris operæ, primum expediam.

4. Quod ergo attinet ad illationes Ecclesiasticas; *Holdenus de Analysi fidei Christianæ* sic definit: *quòd ubi consequentia est evidens, fides Ecclesiæ debeatur; ubi autem est tenebrosior illatio, ibi obsequium deberi* ait, *aut certè modestiam*. Accessecundæ huic parti obsistere, nisi rebellis aut immodestus, nescias. Ad fidem autem, cujus omnis vis

in authoritate narrantis ſita eſt, evidentia ac obſcuritas in re nihil pertinere videntur. Adhuc quod aliquibus eſt manifeſtum, id aliis fortaſſis obſcurum fuerit. Et, cum Religio noſtra ſit voluntas Dei revelata, nec conſtet, Deo ſimiliter ac nobis res videri, non videmur noſtriſmet, nedum alienis illationibus fidem habere poſſe. Poſtremo, ut concluſionibus alterius aut hominis aut cœtus fidem habeam, neceſſe eſt ut ejus in diſcurrendo infallibilitatem præviderim, quod de quovis aut homine, aut hominum numero haberi non poteſt. Qui enim concluſiones ſuas obtrudunt, aut argumenta ſua mihi edunt, aut ea reticent: ſi edunt, ea vel mihi quoque clara ſunt, vel minus

minus quidem satisfaciunt: si hoc, non possum succumbere rationi alienæ contra meammet: si illud, non conclusionibus, sed argumentis cedo, non aliorum, sed mentis meæmet oculis credo. Si vero reticeant argumenta sua, illationem tamen pro indubitata accipi postulent, non id eorum juris est, nec quia homines sunt, nec quia multi, cum quasi universum genus humanum plurimis erroribus sit involutum. *Excluso judicio.*

5. Proxime incumbit dispicere an *traditio Ecclesiæ sit historiæ Domini nostri, doctrinæque ejus infallibiliter vera communicátio.* Ut autem rem, quam poterimus apertissime intueamur, advertendum est Ecclesiam triplici ritu doctrinam

receptam

receptam propagare in posteros. Quædam edicit *expressè, ut determinationes Ecclesiasticas*; quædam *expressè ut à Christo per Apostolos revelata*; rursus alia *indistinctè, ut tradita quidem à Patribus, sed non expressè, aut ut revelata à Christo, aut etiam ut pòst constituta.* De prima classe definitum est (n. 4.)

6. Quod ad tertiam classem doctrinarum attinet, viget hæc sententia in Ecclesia Romana, quod *omnia, quæ ab Ecclesiâ traduntur, quorum nemo authorem humanum nôrit, Deo accepta referri debeant*; scilicet *omnia esse fundamenta, de quibus non potes nuncupare quando & à quo superstructa fuerint*: ubi evenisse non posse præsumitur, aut ut superstructura

Malon. contra Usherum.

ctura ulla erronea invaluerit in Ecclesia, aut ut author istius innovationis, ac origo oblivioni tradantur. Quorum prius sensui inimicum est; quin & rationi; patet enim majorem etiam, quam sit, in Ecclesia Christiana, numerum Mortalium fœdissimis Mahometismi erroribus succubuisse. Nec nos Ecclesiam Christianam (donec jactum fuerit fidei fundamentum) aliter, quam ut tantum hominum consideramus. Postquam vero irroborarerit in Ecclesia error, originem ejus (*qui paulatim irrepserit, qui obscuro etiam fortasse parente oriundus fuerit*) oblivioni tradi quid impedit? His certe grandiora excederunt. Tibi autem, qui *fidem exigis*, talis oblivii impossibilitatem demonstrare,

receptam propagare in posteros. Quædam edicit *expressè, ut determinationes Ecclesiasticas*; quædam *expressè ut à Christo per Apostolos revelata*; rursus alia *indistinctè, ut tradita quidem à Patribus, sed non expressè, aut ut revelata à Christo, aut etiam ut pòst constituta*. De prima classe definitum est (n. 4.)

6. Quod ad tertiam classem doctrinarum attinet, viget hæc sententia in Ecclesia Romana, quod *omnia, quæ ab Ecclesiâ traduntur, quorum nemo authorem humanum nôrit, Deo accepta referri debeant*; scilicet *omnia esse fundamenta, de quibus non potes nuncupare quando & à quo superstructa fuerint*: ubi eveniſſe non posse præsumitur, aut ut superstructura

Malon. contra Vsherum.

ctura ulla erronea invaluerit in Ecclesia, aut ut author istius innovationis, ac origo oblivioni tradantur. Quorum prius sensui inimicum est; quin & rationi; patet enim majorem etiam, quam sit in Ecclesia Christiana, numerum Mortalium fœdissimis Mahometismi erroribus succubuisse. Nec nos Ecclesiam Christianam (donec jactum fuerit fidei fundamentum) aliter, quam ut tantum hominum consideramus. Postquam vero irroboraverit in Ecclesia error, originem ejus (*qui paulatim irrepserit, qui obscuro etiam fortasse parente oriundus fuerit*) oblivioni tradi quid impedit? His certe grandiora exciderunt. Tibi autem, qui *fidem exigis*, talis oblivii impossibilitatem demonstrare,

monſtrare, incumbit. Sed quid agimus? *Eccleſiæ fidem haberi poſtulas.* Ut habeam, quid ſequitur? Dicat ea, *ſe hoc, vel illud dogma à prædeceſſoribus ſuis accepiſſe? Credo,* Dicit ea, illud dogma eſſe de fide, & revelatum *à Chriſto, quia inveteravit in Eccleſia?* Rependo, hoc eſſe Eccleſiæ non teſtimonium, ſed ratiocinium, itaque nec fide capiendum, (ſemper memineris me de Eccleſia in præſentiarum loqui, ut de cœtu hominum naturali) ſed ratione examinandum eſſe, (n. 4.)

7. Reliqua eſt forma traditionis, qua *omnes Chriſtiani vivi declarant ſe recepiſſe hunc articulum tanquam à Chriſto revelatum, aut Chriſti hiſtoriam continentem, à ſuperiore Eccleſia, quæ tunc etiam declaravit*

claravit se eundem sub eodem tenore accepisse a tota Ecclesia se præcedente & tantundem declarante. Quod testimonium, cum, cæteris, testibus rejectis, unicum mihi apparuerit fidei nostræ relictum, tum *lustranti, rimasque (si quæ essent) sciscitanti* syncerum, atque firmum compertum est. Ut autem dictam Traditionem quamplurima impertiam luce, distincte sic proponam.

Conclusio Prima.

8. Ecclesia præsentis ævi *infallibiliter verè dicto modo tradit doctrinam ita sibi traditam ab Ecclesia superioris ævi.* Principio enim non est ea in hoc opere decepta, nec

imprudens fallit; quippe ingens hominum multitudo ubique fere terrarum agens, magna ex parte Religionis Chriſtianæ ſtudio tanquam rei magni ipſis, atque æterni momenti incumbens inſtitutoreſque habens tum plurimos, tum peritiſſimos; ut non poſſit tota ſimul tam ſtupide dementire, ut putet id ſibi traditum fuiſſe, quod revera non fuit traditum. Univerſus cœtus vivorum Chriſtianorum ſummo ſtudio diſcens, ſumma cura edoctus dicit ſe ita inſtitutum fuiſſe; ſe hunc articulum, his verbis, his explicationibus tanquam a Chriſto revelatum, ſine ulla varietate per orbem terrarum a Chriſtianis doctoribus, a parentibus, a famulis excepiſſe. Nullibi teſti-

um

um major numerus, aut diligentia; nullibi opus facilius; non enim id exigitur, ut ſciant, referantque quæ audiverint, ſed ut, niſi quod ſciant ſe audiviſſe, non referant. Vis argumenti eſt evidens è Sect. 3. n. 8.

9. Non fallitur ergo præſentis ævi Eccleſia in ſic tradendo ſibi ab immediatis prædeceſſoribus traditam doctrinam, *i. e.* non errore ſuo nos decipit. *Num ergo vult fallere?* Certe non odio; nam odiſſe poſteros ſuos eſt humanitatem exuiſſe, quod de tot ſimul hominibus ſuſpicari brutum eſſet. *Amore ergo hoc fit? Dum à ſuperſtitioſis traduntur conſtitutiones Eccleſiæ (quibus eæ valde piæ reputantur) pro articulis fidei revelatis,*

& à Domino descendentibus, quo avidiùs accipiantur? Non dico usu venire non posse, ut *pias*, quas appellant, *fraudes* nonnulli adhibuerint. Interea satis est supra fidem universam præsentem Ecclesiam etiam velle, & se mendacio astringere, & posteros erroribus implicare, *i.e.* Religionis ergo & peccare, & in peccatum suos inducere. Sed ut maxime velit, probo non facere, facere non posse.

10. Tu Hibernia nunquam egressus credis Carolum Secundum inclytum Angliæ Regem (quem fortunet Deus) solio avito summa cum gloria esse redditum. Hoc solo auditu tenes. Hunc tamen assensum nequis aut ratiocinijs infirmare, aut, universa, qua polles, libertate

bertate deponere. Scrutemur vero causas tanti tui obsequii. Primum, *dixere multi*; nam paucos delirare potius, aut joco agere, quam Regem rediisse crediderit. Secundo, *cum multi dixerint, nemo contradixit*; non puduisset repugnare multis, modo cum multis; nesciisti vero omnibus unus obsistere. Tertio, *dixere, quorum nihil intererat ei rei fidem haberi.* Qui maxime scilicet obnitebantur, ne Rex rediret, admittunt eum rediisse. Quarto, *dixere, qui ob dissitas vitæ rationes, dissitáque studia ad conglutinandum ejuscemodi mendacium operam in commune conferre non poterant. Christiani, & Turcæ, Pontificii, & Protestantes, Catholici, & Sectarii sunt omnes. In*

hoc

hoc concordes, *Carolum Secundum regna ſua recuperâſſe.* Certe aut hæ omnes cauſæ, aut earum nonnullæ animo tuo (fortaſſe etiam minime conſcio) ſe inſinuarunt, ne poſſes, an Rex redierit, ambigere. Nec eſt quod dicas, *te ſeriem factorum advertere in Hiberniâ, quæ, niſi reſtituto Rege, hìc facta non fuiſſent, atque adeo te non auribus tuis, ſed oculis aſſentiri de reditu Regio.* Credunt enim qui horum nihil vident. Credent etiam a centum dehinc annis naſcituri. Ergo cuicunque narrationi dictæ omnes cauſæ adſunt, ibi te victum fateri, & credendo manus dare neceſſe eſt. At nihil horum traditioni, *quâ Eccleſia præſens dicto ritu teſtatur hanc eſſe ſibi à ſuperioris ævi Eccleſiâ traditam*

traditam doctrinam, abeſſe finxeris. Teſtes ſunt *numero infiniti*, Chriſtiani omnes, *Concordia autem ſumma*, ubi omnes idem aiunt. Nec intelligi poteſt *mentiendi cauſa*; cum id non magis profiteantur paſtores, quam populus; non magis ii, quibus in hoc mundo profuit Religio Chriſtiana, quam ii, qui ſub Imperio Turcico omnes vitæ miſerias, mortis etiam cruciatus, (unde Martyres, teſtes κατ ἐξοχὴν meruerunt appellari) extrema (inquam) omnia, quia hæc diffiteri nolunt, perferunt. Jam hi teſtes, *iiſdem*, quibus mundus plagis dividitur, *à ſe invicem diſtinentur*. Idem in omnibus Europæ, in omnibus fere Aſiæ tractibus aſſeritur; idem Atrica, idem America docet.

Niſi

Nisi æstro pereiti, nisi dœmonio acti, ad unum consarciendum mendacium non conjuraverint.

VII. Quin peculiaris adhuc est in dicta traditione impossibilitas mentiendi. Non enim una integra ætas integram aliam subsequentem simul, & quasi una hora instituit, sed superioribus gradatim decedentibus gradatim subeunt juniores. Sic ut si hæc traditio mendax sit, oporteret unius mendacii conformationem per integram hominis ætatem, *i. e.* 40. aut 50. aut 60. annos durare. Cum tantum tamen temporis luculentæ sæpe etiam veritati (*quæ temporis filia agnoscitur*) oblivionis tenebras obduxerit. Sed quid his immoror? Si hic dubitas, *dubita etiam an sit urbs*

Lon-

Londinum, an Regnum Chinæ, an fuerit unquam Iulius Cæsar, aut Magnus Alexander : i. e. tolle omnem certitudinem, omnia commercia, ipsam naturam humanam. Nescio vero an quenquam repereris, qui dubitet, an Articuli Christianismi ab Ecclesia præsente sic expresse nobis traditi, eidem Ecclesiæ fuerint traditi eodem tenore ab immediate antecedente Ecclesia : metus omnis est, ne fortasse, seris jam volventibus ævis in superioribus aliquibus ubi tenebræ universum occupasse perhibentur, nonnihil confictum fuerit. Sit ergo

Conclusio Secunda.

12. *Ecclesia cujusque sæculi a Do-*

mini nostri temporibus usque ad hoc præsens ævum tam erat Ecclesiæ ei succedenti infallibilis author in tradendo (dicto ritu) doctrinam Christianam ab Ecclesia antecedente sibi traditam; quam est præsens Ecclesia immediate successuræ. Fuit enim in singulis a Christo sæculis par præsenti sæculo doctorum, discentiumque multitudo, pariter nulla causa, nulla possibilitas mentiendi. At subierit fortasse, non nemini hoc non satis liquere, *Ecclesiam seu multitudinem Christianorum semper ab eorum primordijs tantam fuisse, quanta nunc est.* Concesso autem, *Ecclesiam aut primitùs exiguam, aut quopiam ævo ad paucitatem redactam fuisse, sequitur illius ævi testimonium dubitabile esse.*

Con-

Conceſſo illo, hoc ſequi fateor. Verum Eccleſia præſens, quanta quanta amplitudine glorietur, palam affirmat ſe doctrinam Chriſtianam accepiſſe a ſuperioribus infinitis, gentibus ſtudiiſque (quod ad terrena quidem attinet) diverſiſſimis, qui etiam confirmarunt ſe eandem accepiſſe a totidem authoribus, tamque diſtantibus; ſingulis ævis teſtantibus præceſſiſſe in Eccleſia non minorem vim teſtium, quam jam tum eſſet. Chriſtiani, cum pauciſſimi, nequierunt omnes mentiri, niſi etiam cum plurimi poſſent; cum enim plurimi eſſent, teſtabantur ſe nunquam fuiſſe paucos. Sit ergo.

Conclusio Tertia.

13. *Dicta traditio affirmativa & expressa universalis Ecclesiæ præsentis ævi est infallibiliter vera communicatio doctrinæ Christianæ quoad articulos fidei propositos.* Si enim nullus in traditione aut præsentis, aut ullius intermediarum ætatum Ecclesiæ error esse potest, nullibi est. Eadem est doctrina, quam nobis Ecclesia præsens (*dicto quidem modo*) impertit, ac quam Apostoli Ecclesiæ primævæ infuderunt. Si dicitur errorem non in una ætate invaluisse, sed paulatim irrepsisse; insto, impossibile esse ut ibi error unquam inceperit, ubi sola vetustate commendari potuit. At hoc expresso traditionis more nul-

nullum dogma aliter, quam ad omnes Chriſtianos appellando, confirmari potuit. Si quis autem provocet ad illam notitiam in omnibus quam nemo habeat, adeo nemini fidem facit, ut ſe omnibus proſtituat deridendum. Meminiſſe hic oportet, quod ſuperius monui, Eccleſiam cujuſque ævi non quaſi fungos eſſe, aut terra uno die nitos homines, ſed ex pluribus omnium ætatis humanæ graduum coagmentatam eſſe. His potuerit quiſpiam doctrinæ, pietatiſque fama vigens imponere *ex ratione naturali, aut Scripturis etiam ſacris argumentando.* At ſi quis novum dogma hoc pacto obtenderit; *univerſa præſens Eccleſia ita docet ſe ab univerſa ſuperiore Eccleſia ita fuiſſe edo-*

Etam

tam &c. (priori forma usus est Arrius, posteriore Patres Nicæni); si quis inquam, novum dogma sic obtrudat; ecce seniorum omnium, æqualium, juniorum conscientiæ repugnat. Adeo nemini fallendo fuerit, ut quot habeat auditores, tot habeat vesaniæ suæ & testes & osores. Hæc traditio quomodo grandescere det errori, cum non sinat nasci? Ut manum ultimam huic parti injiciam, sit

Conclusio quarta.

14. *Tradio universalis (dicto ritu) affirmans, & expressa infallibiles exhibet demonstrationes veritatis doctrinæ Christianæ sic traditæ.* Qua enim manu ipsam doctrinam

tradit

tradit, eadem historiam miraculorum in doctrinæ confirmationem porrigit. Nec tamen animus nunc est, in illum argumentorum oceanum provehi, quæ Religioni nostræ confirmandæ inserviunt; nec opus quidem, cum id a veteribus, recentibusque millies, atque adeo satis, factitatum sit. Odiosius autem mundo non imponitur, quam vario habitu multotics eadem obiicere, & cum res promiseris, verba dare. Adverto modo, solis miraculis Religionem nostram (*cœlestem quippe, & supra nos positam*) posse confirmari. Ubi duo assumuntur: *opera miraculosa justum esse veritatis judicem, & Christum ejusmodi opera edidisse.* Primus rationis labor est, sed facilis, & pervius

ius

ius. Secundum non nisi traditione habemus. Cum ergo traditionis demonstraverimus firmitatem, alteram (& de qua una ambigi potuit) præmissarum in omni syllogismo veritatem doctrinæ Christianæ concludente, evicimus.

Posse capi faciendo, Pergama cepi.

Hujus enim traditionis tubo ceu præsens video *dæmonia, ingenti multitudine spectante, ejecta; morbos verbo, ac fine verbo curatos; multitudine pastâ, reliquias majores primò appositis cibis*; tandem *ipsum Dominum pendentem in cruce, sepultum, redivivum, à suis ambigentibus receptum, à Thomâ etiam tractatum, posteà in cœlum ascendentem, indèque*

Spiritum

Spiritum Sanctum in Ecclesiam miraculose demittentem, qui cùm dono linguarum, tum innumeris alijs miraculis per Apostolos editis & superiora illa, & seipsum demonstraverit. Mundum quippe per hæc ad Christianismum, *invitis non solùm legibus, sed etiam odijs humanis, ipso mundo invito*, conversum, horum testem habeo. Et hæc cum fuerint, *Iesum esse Christum, filium illum Dei, quicquid ipse se esse dixerit*, meæmet rationis oculo (non solum quia id æterno meo commodo est lubens, sed magis) necessitate consequentiæ victus agnosco.

Sect. XI.

Quo pacto consulendum sit Ecclesiæ universalis de doctrina sibi tradita.

1. REstat summum opusculi, & nescio an non maxime arduum, de colligendis Ecclesiæ testimonijs *Quæ enim aut singulos in tanta multitudine consulas, aut sensa omnium nisi singulis consultis noris?* Hic jure præsumserim populum Christianum eandem profiteri fidem cum suis immediatis pastoribus, cum ab his Religionis suæ capita illi ceperint; unde etiam vigo Ecclesiæ nomine pastores designantur. Atque hinc fieret, sensa universalis Ecclesiæ ex decretis Concilij

Concilij generalis sciri posse; pastoribus quippe omnibus omnis populi, & Concilio generali omnium pastorum vim habente. Enimvero (nescio unde) occlamare didicimus Concilijs quamlibet generalibus, *quod satis generalia non sint; quod secundum varias gentes è quibus excerpti fuerint, in factiones dehiscant; quòd magnâ ex parte in ejus verba jurent, cujus auspicijs coierint; quòd non ut testes tradita affirment; sed è scripturæ sacræ interpretationibus juridicè pleraque definiant; postremo quòd ex majori parte præsentium decernant, cùm fides nostra ad consensum universorum appellet.* Excedo ergo ex hac lata licet, impedita tamen via, ac

2. Recurro ad exemplum supe-

rius positum. Tu quispiam Hibernia nunquam egressus es, firma tamen mente credis, *esse Romam, fuisse Alexandrum Magnum, Inclytum Regem Carolum Secundum avitum solium possidere.* Authores hujus fidei qui consuluisti? *Non consultum* (inquies) *ivi, sed se obtulere.* Ego vero inspirationes, seu illuminationes cœlestes ut mirculosas nec nisi more miraculorum factas revereor, Religionemque Christianam fando ad aures nostras, ut alia pervenire video. Immensa Dei bonitate Christianos inter nutriti eramus. A parentibus, ab eorum ancillis, a ludimagistris, a tutoribus, a concionatoribus, a scriptis veterum, præsentium calculis commendatis Christianismum erudimur.

Omnes

Omnes dicunt hæc esse Christianis credita, credendaque. Qui ergo curiosior est, & suspicacior, visat plurimas gentes, & in singulis plurimos percunctetur. Est tamen hic labor ad fidem modestis quidem ingenijs minime necessarius. Qui hoc quadriennio non est egressus agro Corcagiensi minime dubitat Regem in Anglia esse; at nullius rei plures domi testes, quam Religionis, habeas.

3. Quid ergo aies? *An non solùm Ecclesiæ Catholicæ, sed etiam singulis parochijs fides in omnibus habenda?* Respondeo, universale testimonium Ecclesiæ jure fidei nostræ esse substratum fundamentum; Quia testimonium unius parochiæ, unius etiam Ecclesiæ Nationalis

non

non facit fidem, nisi vbi testimonium Ecclesiæ universalis. Paucis enim credo, quia video eos cum quamplurimis consentire. *Quî scias (inquis) nos ab aliis non dissentire in hoc vel illo Articulo?* Respondeo, hæc mihi nosse vicinos meos e diuersis regionibus, quo mercatum aut peregrinatum ierant reversos, multos alienigenas aduenas conuenisse, libros legisse, cursum vitæ meæ, circumstantias rerum meminisse, nihil vnquam offendisse quod dubium creet de consensu nostro (in hoc vel illo articulo) cum cæteris Christianis. En, fidem ignorantium iustam esse, nec rationis indigam, licet ei reddendæ ipsi sint impares. Adeo quippe fieri non potuit, vt vniuersa Ecclesia, *i.e.* universus

non quasi

quasi Mundus (nam ad fidem satis testium perinde sunt ac numero infiniti,) adeo, inquam, fieri non potuit, ut universa Ecclesia per integram ætatem duraverit in mendacij conformatione, ut id superet patientiam unius oppiduli.

4. *Sunt tamen quædam*, dices, *de quibus etiam dubitent sapientes, an sint de fide necne. Id inde venire* regero, *quia inveteravit jam mos mundo Christiano, fidem suam ex decretis Papæ, aut alicujus Ecclesiæ particularis, aut quidem ex determinationibus indefinitis Concilij generalis, aut ex privatâ interpretatione Scripturæ sacræ sumere.* Hinc quid sit de fide [illegible]igatur, eo uni displicente, quod alteri maxime placet. Quid vero sit de fide secundum dictam

dam traditionem universalem, nemo nisi surdus norit ambigere. Si quis demum hanc fidei semitam, ut apertam, blandamque magis, quam veram damnet; appello omnium credentium experientiam (modo cogitationum suarum telas retexendi laborem subire vellent) *si non ex hoc fonte fidem suam Christianam traxerint, si aliunde quàm hinc eam sibi confirmare nôrint*; quoslibet etiam provocem ut ostendant *hinc eam non esse confirmatam.*

Sect. XII.

Corollaria quædam præcedentis doctrinæ.

Finieram, sed superiora, iterum atque iterum perlegenti

ti æquum videbatur paucula adhuc monere, quæ dictis aut acceptandis aut intelligendis ſerviant, primum eſt *Dictam traditionem in cuiq; hominum conditioni perviam eſſe, infirmis obviam, doctis firmam, univerſo humano generi liberam, regnis verò rebusque publicis quàm ſalutarem!* Quantas alii miſerias ſub innocentiſſimo Chriſtianæ religionis pallio invexere? Nos nihil periculi alli Chriſtiano creamus, cum id ſolum profiteamur ut mandatum Chriſti quod omnes Chriſtiani, ut tale amplexi fuerinti, e quod & norint, & norint ſibi non eſſe noxium. 2. Quin & hæc doctrina Eccleſiæ juſtifica eſt in Catholicis (qui mos eſt) nuncupandis & hæreticis damnandis. Certè, ſi Spiritus privatus aut traditio privata ſtatuatur rerum arbiter,

nemo nisi sibi ipsi aut probari aut culpari possit. Si Papa aut Ecclesia quæcunque particularis, aut universalis etiam ut judicans dominium in fidem nostram sibi assumpserit, nemo non videt clamitatum iri, *quòd fallibiles sint.* Apud nos vero, *omnis hæreticus est* (ut Apostolus ait) ΑΥΤΟΚΑΤΑΚΡΙΤΟΣ. Cum enim conscientia Christianorum sit judex Articulorum fidei Christianæ; pertinaciter labefactare vel minimum Articulum est cæterorum Christianorum testimonium nihili habere, & hoc est palam præ se ferre non solum Christianismi (S. 10. N. 7) sed etiam rationis (S. 10. *N.* 14) desertionem. Talis convincitur ab omnibus, judicatur ab omnibus (1 *Cor.* 14. 24.) quorum ipse etiam unus est; dum Christianus, cum Christianus sit ob

auctoritatem

auctoritatem Ecclesiæ, Ecclesia tamen refragante hæreticus esse velit, *i.e.* ei argumento succumbat in thesi, cui in hypothesi repugnat, culpæ non minus sibi conscius quam qui non admitteret principium illud quod in Schola appellatur *dictum de omni.* 3. Tertio loco occurro objectioni, quam posse afferri video *non paucas scilicet Ecclesias Christianas traditionem hanc susque deque habere, judicia Ecclesiæ alicubi, alibi Scripturam sacram in credendo aut fundamenti, aut regulæ loco colentes.* Quid hic Christianissimi studiosus? Quippe ubi tota una regio id falsum esse clamitet, quod plurimæ aliæ terræ Christianæ ut doctrinam ab Apostolis Christi descendentem tuentur. Hic me sic expedio. Primum, si una regio traditum aliquem articulum

articulum affirmet, altera neget; ambigendum mihi est, donec constiterit utra pars contradicentium sit veracior. Forsasse etiam uni genti id traditum fuerit, quod ad alteram non pervenerit. 2do, si una parte Ecclesiæ asserente quippiam esse traditum, altera aut assentit, aut non negat, aliunde tamen id falsum esse (nempe per interpretamenta Scripturæ sacræ, aut ratiocinia philosophica) contendat; hic prorsum traditioni adhæresco, vestigia hæreticorum in parte altera persentiscens. Sic namque blasphemias suas Arrius tuebatur *textibus Scripturæ malè intellectis, & captionibus è Philosophiâ.* Et sic eum Patres Niceni damnarunt ut *invehentem dogmata fidei receptæ adversa.* 4. Non pigebit dicta *exemplis doctrinarum isto*

ritu

rit u traditarum uno, aut altero clau-
dere. Ac inprimis *traduntur* Biblia
ſacra, ut ſint Eccleſiæ oraculorum
Dei *Memoriale*. *Traditur* Symbolum
Apoſtolorum ut breviarium doctri-
næ Apoſtolicæ, & tanquam aut ab
ipſis Apoſtolis, aut ab Eccleſia pro-
xime ſequente conſarcinatum. *Tra-
ditur* Symbolum Nicenum tanquam
expreſſum teſtimonium tertij a
Chriſto ſæculi de doctrina Chriſti-
ana quoad iſta capita. *Sed hæc col-
lectiva ſunt*. *Traditur ſigillatim*,
Chriſtum nunquam peccaſſe, nos
omnes natura peccatores eſſe, ip-
ſum vero peccata noſtra morte ſua
ſuſtuliſſe. *Traditur etiam* Chriſtum
imperaſſe ſuis omnia bona opera,
vitia omnia damnaſſe, exigere ut
obſequamur magiſtratibus, ut om-
nia bona noſtra, etiam nos ipſos ejus
nomini

devoveamus, &c. *Sed hæc*, dices, *certa sunt; Ostendas oportet exempla de quibus ambigitur; cùm finem ponere litibus de fide hæc disquisitio inprimis promiserit.* Mira importunitas! Ista certa sunt quia traduntur; tu postulas ut ostendatur ea tradi, quæ sunt incerta. Nihilominus hic etiam si tibi præsens es, me satisfacturum spero. *De quo vehementius litigatur, quàm de præsentiâ Domini in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento?* At ex dicta traditione manifestum est panem consecratum esse corpus Domini, & vinum consecratum eius esse sanguinem. Græci, Latini, Pontificij, Protestantes, quicunque sacrosancto hoc Sacramento utuntur, hunc & esse, & semper fuisse Ecclesiæ universalis sensum testantur. Id quod in litem trahitur, est, An hæc

præsentia

præsentia sit per remotionem substantiæ panis, aut per ejus identificationem cum substantia corporis Dominici, aut per repræsentationem sacramentalem, aut quo prorsus modo ex infinitis illis, qui omnipotentiæ Domini propatuli sunt. Demum, convenit de re, quia *traditur* Christum eam declarasse; disputatur de modo, quia a Christo eum, aut ab Apostolis ejus fuisse declaratum (*certè nobis*) non traditur. Adjiciam exemplum, quod multorum instar fuerit. *Traditur dicto modo* Ecclesiam Christi esse columnam veritatis, esse infallibilem. Quod, inquam, hæc sit *traditio universalis*, ex eo liquet, quod omnes textus eo pertinentes, *alij Ecclesiæ Romanæ largiantur, alij non nisi Ecclesiæ Vniversali concedant, alij nec Ecclesiæ Vniversali, nisi in necessarijs ad salutem.* Istæ autem distinctiones

quid

quid ſunt, niſi effugia recuſantium aſſenſum, ubi pudet diſſentiri? Certe qui modos quæritant, rem fatentur. Ac mihi quidem in talibus hæc eſt regula: certis me ſubmittere, dubijs non maledicere. Certus ſum panem conſecratum eſſe corpus Domini; an vero ſubſtantia panis loco ceſſerit, relinquitur dubitandum, *i. e.* non exigitur ut credam, aut ita eſſe, aut non eſſe. Infallibiliter traditur ex ore Domini, Eccleſiam Chriſti eſſe infallibilem. Certus ergo ſum aliquam Eccleſiam hoc frui privilegio; quod hæc (quæcunque) eo non fruatur, non ſum certus. Cum certus ſim Eccleſiam nonnullam infallibilitate frui, tum an non hanc (quamlibet) habeat, ignoro. Cum tam multa non revelaret dominus, modeſte ſapere juſſit.

Gloria Chriſto.

FINIS.